

nō constituere posse prius, quam duo illi priores anguli Recti in tres quidem angulos $A B C$, $B A C$ & $B C A$, sed tales, qui duos Rectos non superent, concesserint.

V. Omnes Anguli Trianguli Æquilateri sunt acuti.


Est enim eorum quivis tertia pars de duobus Rectis, vel duæ tertiæ unius Recti, hoc est, 60. grad. Ter enim 60. grad. sunt 180. gr. vel duo Recti.

VI. Trianguli Æquicruri duo æquales Anguli supra Basin necessario sunt acuti.

Si enim angulus reliquus Basi oppositus fuerit vel Rectus vel Obtusus, jam *ex Theorem. IV.* perspicuum est reliquos ad Basin, de quibus hic sermo est, esse acutos. Si verò maximè tertius ille acutissimus sit: erunt tamen nihilominus reliqui duo Ejus ad duos Rectos complementum; atq; ideò utervis Eorum Recto minor, id est, Acutus, Semirecto tamen Major.

VII. In Æquicruro Triangulo Rectangulo, quilibet æqualium Angulorum est Semirectus: in Acutangulo Semirecto major: in Obtusangulo minor.

Res per se plana est & manifesta, nec indiget ulteriori demonstratione: ex exemplo tamen Tironibus erit



tantò evidentior. Triangulum $A B C$ est ad C Rectangulum. Angulus ergo $A C B$ 90. grad. reliquorumq; æqualium aggregatum itidem 90. grad. & eorum uterlibet 45. grad. vel Semirectus. At in Triangulo $D E F$ ad F Obliquangulo, si angulus $D F E$ sit 100. grad. erit aggregatum reliquorum 80. gr. eorumq; uterlibet 40. gr. minor Semirecto. Deniq; in Triangulo $G H I$ ad I